

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVIII. Aug. MDCCVIII. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Udum feliciter: Clemens Papa X. Praeceptor noster supplicationibus tunc existentis Ministri Provincialis Provinciae Aquitaniae antiquioris Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de observantia nuncupatorum Superioribus Regularibus, ad quos cateroqui juxta praescriptum ejusdem Ordinis Constitutionum pertinebat, ut Discretum, & Juvenes ad magnum Conventum Parisien., prout ante quorundam in forma Brevis literarum expeditionem consueverant, studiorum causam mittere possent, & valeret, facultatem concessit, & impartitus fuit, prout continetur in ipsius Clementis Praeceptoris literis desuper in simili forma Brevis expeditis, tenoris, qui sequitur videlicet:

§.1. CLEMENS PAPA X. Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Felix Culliens Minister Provincialis Provinciae Aquitaniae Antiquioris Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de observantia nuncupatorum, quod a multis annis per quasdam Literas Apostolicas in simili forma Brevis expeditas, ad instantiam tunc existentis Ministri Provincialis dictae Provinciae nomine Joannis Jourdain, prohibuit fuit, ne Discretus, & Studentes ejusdem Provinciae ad magnum Parisiensem Conventum dicti Ordinis amplius mitterentur, eo quod regularis observantia in illo minime vigeret, indeque timeretur, ne ad Provinciam praedictam transactis studiis redeuntes ab ipsa regulari observantia aliquo modo declinarent. Cum autem, sicut eadem expositio subungebat, reformatio in praedicto Conventu Parisien. a dilecto filio Ministro Generali Ordinis praedicti jam laudabiliter feliciterque introducta reperitur, cessetque proinde talis praetextus, neque simile periculum amplius sit timendum, & propterea dictus Felix Minister Provincialis Provinciam praedictam in suum jus, quo ante emanatas Literas praedictas pacifice, & absque ulla controversia fruebatur, restitui, eique facultatem mittendi Discretum, & Studentes more solito ad eundem Conventum Parisien. concedi plurimum desideret, & pro juris hujusmodi restitutione jam a praedicto Ministro generali in partibus tunc existente decreto ad hunc effectum facit expeditum: Nos ipsius Felicis Ministri Provincialis votis, hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium, dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum, qui relationem dicti Ministri Generalis audiverunt, consilio, Superioribus Regularibus, ad quos cateroqui juxta praescriptum ejusdem Ordinis Constitutionum pertinet, ut Discretum, & Juvenes ad praedictum Conventum Parisien., prout ante praenarratum in forma

Constitutio Clem. X. qua Superioribus Provinciae reditum fuit juxta mittendi Discretum, & Juvenes ad Conventum Parisien., in quo jam vigeat regularis disciplina.

Dat. 6. Dec. 1708. An. 9.

CXX.

Mandatur, ut Festum Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae de Praecepto ubique observetur.

Ann. XII Const. edit. 1693, Maji 15, P. 2 mandata fuit ubique recitatio Officii, & Missae cum octava.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Commisisti Nobis divinitus Sacrosancti Apostolatus officii exigit ratio, ut gloriosissime Virginis Dei Genitricis Mariae, cujus Conceptio gaudium annuntiavit universo Mando, venerationem, & cultum, plurimum Romanorum Pontificum Praeceptorum nostrorum more, ampliare studentes in terris, illius, quae super Choros Angelorum exaltata pro populo Christiano sedula exoratrix apud eum, quem genuit, assidue intercedit in Caelis, potentissimam opem, in tot tantisque, quibus promur, Christianae Republicae, & Catholicae Ecclesiae necessitatibus, quantum Nobis ex alto conceditur, promereri jugiter satagamus. Sincera itaque nostra erga eandem Augustissimam Caeli Reginam, Patronam, Advocatam nostram devotione incitati Festum Conceptionis ipsius Beatae Mariae Virginis Immaculatae ubique Terrarum in posterum ab omnibus, & singulis utriusque sexus Christianis, sicut alia Festa de Praecepto observationis Festorum comprehendit, auctoritate Apostolica tenore praesentium decernimus, praecipimus, & mandamus.

Mandatum praedictum.

Clause.

§.1. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. §.2. Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transcriptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibita, vel ostensa. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VI. Decemb. MDCCVIII. Pontificatus nostri Anno Nono.

CXXI.

Statuitur, ut executioni mandetur Constitutio Clem. X. de facultate mittendi Discretum, & Juvenes ad Conventum Parisien. FF. Minor. de Observ. pro Superioribus Provinciae Aquitaniae Antiquioris Ordinis.

Dat. 18. Dec. 1708. An. 9.

Laudata Constitutio hic refertur, & ed. fuit 1671, Oct. P. 3. Item hujus Pontificis Const. ed. 1705, Sep. 28, P. 5 concessa fuit hac facultas. Et Const. edit. 1710, Jan. 21, P. 10. confirmantur Regulae Collegii Sancti Bartholomaei in Insula de Urbe.

forma Brevis Literarum expeditionem consueverant studiorum causa mittere possint, & valeant facultatem auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, & impartimus. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Literis praedictis, aliisque Ordinationibus, & Constitutionibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVIII. Octobris MDCLXXI. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Causa praesentis Constitutionis, & praesentis Exprovincialis.

§.2. Cum autem, sicut dilectus filius Philippus Faure Ex-Definitor Generalis, & Exprovincialis dictae Provinciae Nobis nuper exponi fecit, in praedicto Conventu Parisien. a tunc pariter existente Ministro Generali Ordinis praedicti reformatio introducta fuerit, necnon ibidem regularis observantia de praesenti vigeat, ac proinde praesentis Literas hujusmodi, quae ob quasdam controversias tamen inde secutas executioni demandatae minime fuerunt, per Nos confirmari plurimum desideret. Nobis propterea dictus Philippus humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Saturum mandandi executioni relationem.

Clause.

§.3. Nos igitur ipsum Philippum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinatis, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum, qui dilectum pariter filium Procuratorem Generalem Ordinis praefati audiverunt, consilio, praesentis Clementis Praeceptoris Literas, tamen illa executioni demandatae non fuerint, ut praefertur, nihilominus executioni mandari, ac perpetuis futuris temporibus in omnibus, & per omnia servari posse, & debere, auctoritate Apostolica, tenore praesentium statuimus, & ordinamus.

§.4. Decernentes easdem praesentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus praemissis, ac Consti-

tutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quae in praesentibus Clementis Praeceptoris Literis concessa sunt, non obstat, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Decembris MDCCVIII. Pontificatus nostri Anno Nono.

CXXII.

Confirmatur Decretum Congregationis Episcopi, & Reg. de ratione habenda solius meriti in electionibus Fratrum Min. de observ. Reformat. Provinciae S. Didaci Papien.

Dat. 8. Martij 1709. An. 9.

Ann. XII Const. ed. 1694, Apr. 7, P. 5 statutum fuit, ut Procurator Gen. eligatur in Capitulo Gen. Et hujus Pontificis Const. ed. 1717, Sep. 7, P. 17 agitur de electione Visitatorum pro Provincia Conceptionis B.M.V. Fluminis Januarii.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Manavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita pro Declaratione Rescripti alias nempti sub die 5. Martij 1693. in Causa Fratrum Provinciae Sancti Didaci Papien. Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupat. facti feliciter, quod nihil innovandum esset quoad divisionem, Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet = In Causa Minorum Reformatorum Provinciae Sancti Didaci pro declaratione Rescripti alias facti sub die 5. Martij 1693. tenoris sequentis = Nihil innovandum quoad divisionem = Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, reasumptis, ac visis juribus, & scripturis datis sub dicta die quinta Martij ad relationem, clarae memoriae Eminentissimi Petrucci, ac mature perpenis rationibus adductis, referente Eminentissimo de Abdua, censuit, & declaravit, Decretum anni 1693. esse intelligendum, itaut nulla habeatur ratio Nationum, & aequalitatis Definitorii, sed solum meriti eligendorum. Romae 21. Februarii 1709.

Decretum praed. 1709, quo declarata fuit quoddam Rescripti ant. 1693 in causa petite divisionis.

Preces nonnullorum Fratrum.

§.1. Cum autem, sicut dilecti filii nonnulli Fratres dictae Provinciae Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & promptius executioni mandetur, Apostolica confirmationis nostrae patrocinio communiti plurimum desideret: Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, Decretum praesentium aucto-

Confirmatio relati Decreti aucto-



auctoritate Apostolica tenore presentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in premissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausula.

§.2. Decernentes, easdem presentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in premissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provinciae, & Ordinis praedictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII. Martii MDCCIX. Pontificatus nostri Anno Nono.

CXXIII.

Dat. 18. Mar. 1709. An. 9.

Extenditur Indultum de afectione Praelaturarum ab Urb. VIII concessum Lectoribus, & Magistris Juvenum Canonicorum S. Salvatoris Ord. S. Augustini ad Religiosos curam animarum habentes.

Indultum ed. fuit 1641, Jun. 25. Hujus Pontificis Const. ed. 1709, Jun. 20, P. 8. confirmata fuit Constitutio contra ambientes.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Ab Urb. VIII concessa fuit habitatio ad Praelaturam Lectoribus, & Magistris Juvenum post sexennium.

Dudum fel. rec. Urbano VIII. Praedecessori pro parte tunc existentis Abbatis Generalis Canonicorum Regularium Congregationis Sancti Salvatoris Ordinis S. Augustini exposito, quod ipse aperte cognoscebat, ex recta educatione Novitorum, & Juvenum Professorum quemcumque dictae Congregationis progressum dimanare, & re ipsa compertum habebat, paucos Ministerio hujusmodi uti difficili, & laborioso animum intendere velle, proindeque rei adeo gravi opportunum aliquod remedium adhibere desiderabat. Idem Urbanus Praedecessor supplicationibus praedicti Abbatis Generalis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, quod in praedictae Congregationis Canonici Regulares presbyteri, qui de cetero laudabiliter spatio sex annorum Magistri, seu Lectores Novi-

tiorum, & Juvenum professorum fuissent, in afectione Praelaturarum dictae Congregationis deinceps vacantium, primum quidem Lectores; & deinde Magistri Novitorum, Juvenumque professorum hujusmodi, quatenus tamen quo ad mores, & regimen habiles a Capitulo Generali, vel a Dietis infra annum haberi solitis, reputarentur quibusvis aliis ejusdem Congregationis Canonici Regularibus praeferi deberent, auctoritate Apostolica statuit, mandavit, & ordinavit, & alias prout in ipsis Urbani Praedecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 25. Junii 1641. expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus plenius continetur.

Causa extensionis Indulti, & Praeces Procuratoris Gen.

§.1. Cum autem sicut dilectus filius modernus Procurator Generalis praedictae Congregationis Nobis nuper exponi fecit Congregatio hujusmodi ob nonnullas Ecclesias Parochiales, quas obtinet, Religiosis, qui curam animarum incumbant, magis indigeat, Ipse vero modernus Procurator Generalis, quo praedicti Religiosi ad officium hujusmodi diligenter exercendum incitentur, supradictum Indultum a memorato Urbano Praedecessore ad favorem praedictorum Lectorum, seu Magistrorum Novitorum concessum, ut praefertur ad eos Religiosos dictae Congregationis, qui per sexennium in ea curam animarum exercuerint, itant ipsi in afectione Praelaturarum praedictarum pro tempore vacantium, dummodo tamen conditionibus in praedictis Urbani Praedecessoris literis requisitis praediti sint, aliis praeferi debeant, quemadmodum lectores praefertur, per Nos extendi, & ampliari plurimum desideret: Nos praedicti moderni Procuratoris Generalis Votis, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum consilio, & attenta relatione bo. me. Leandri dum vixit ejusdem S.R.E. Cardinalis Colloredi nuncupati dictae Congregationis S. Salvatoris apud Nos, & Sedem Apostolicam Comprotektoris, eidem Cardinalibus facta, petitam similibus Indulti extensionem ad favorem illorum Religiosorum dumtaxat, qui in posterum laudabiliter cura Animarum incumbent, in illis Ecclesiis dumtaxat, quibus inserviant ipsi Canonici Regulares, ibique vigeat Regularis observantia, auctoritate, & tenore praefatis concedimus; Salva tamen semper in premissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Extensio Indulti ad eos solum, qui Causati sint in propriis Ecclesiis post sexennium.

§.2. Decernentes, easdem presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in premissis per quoscumque Judices Ordinarios,

Clausula.

narios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quae in eisdem Urbani Praedecessoris literis concessa sunt non obstat, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus autem, ut eorumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostense.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Martii MDCCIX. Pontificatus nostri Anno Nono.

CXXIV.

Dat. 22. Maji 1709. An. 9.

Erigitur Congregatio Ordinis S. Benedicti sub invocatione S. Crucis in Regno Poloniae, & Magno Ducatu Lithuaniae.

Et concedantur privilegia Congregationis Benedicti in Bavarica, ad instar cujus erigitur. Unde vide Inn. XI Const. ed. 1684, Aug. 26, P. 8 de ejus erectione. Et Inn. XII Const. ed. 1691, Aug. 11, P. 1 de ejusdem Privilegiis. Hujus Pontificis Const. ed. 1709, Jun. 6, P. 9 conceditur Indulgentia huic Congregationi.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpet. rei memoriam.

Procurium.

EX injuncto Nobis coelitus Apostolica sollicitudinis munere, in id praecipue sollicitis studiis incumbimus, ut Monastica, Regularisque disciplina sicuti collapsa est, modis congruis restitui, ubi vero Domino benedictente vigeat, firmius solitari valeat, eoque tendentia Religiosorum Virorum, Altissimi obsequis sub suavi vitae Monasticae jugo mancipatorum vota libenter exaudimus, ac alias Pastoralis Officii nostri partes opportunis rationibus, interdum etiam per novarum Congregationum institutiones paterne desuper charitate interponimus, sicut omnibus mature consideratis ad Omnipotentis Dei gloriam, ad Ecclesiae Catholicae decus, & praesidium, ad Monasticae, regularisque disciplinae incrementum, & felicem progressum, spiritualeque Christianidelium aedificationem, & animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Praeces plurim Monachorum & rationes pro erectione d. Congregationis, quae communi consensu decreta sunt, & missis Procurator ad Sedem Apostolicam.

§.1. Cum itaque (sicut accepimus) dilectis Filiis Monachis infra scriptorum Monasteriorum Ordinis S. Benedicti in Regno Poloniae, & Magno Ducatu Lithuaniae respective consentientium, nempe S. Crucis Calvomontani, Assumptionis Beatae Mariae Virginis Sicutochoviensis, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Tymecensis, S. Adalberti Episcopi, & Martyris Hocensis, S. Joannis Apostoli, & Evangelistae Mopilioensis Sanctae Mariae Lubinensis, ad Sanctam Mariam Trojensis, ad Sanctam Annam Horodensensis, & ad S. Crucem Nefuicensis, pro Regularibus

Disciplinae collapsae restauratione, ac proprii Instituti observantia, & illius augmento, necnon felici prosperoque tam in spiritualibus, quam in temporalibus praedictorum Monasteriorum regimine, ipsa Monasteria juxta Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini dispositionem, in Congregationem sub uno primario capite gubernandam, ad instar Bavaricae, aliarumque similium Congregationum, Monasteriorum dicti Ordinis uniri, & institui desiderantibus non ita pridem in Visitatione Generali praedictorum Monasteriorum per dilectum Filium Christinum Stanislaum Mirecki Abbatem Calvomontani Monasterii praedicti, de mandato Venerab. Fratris Nicolai Archiepiscopi Thebarum Nostri, & Apostolicae Sedis in Regno Poloniae Nuncii facta, unanimi Monachorum eorumdem Monasteriorum consensu, parique restaurandae dictae Regularis disciplinae zelo, decretum extiterit, ut instantiam jamdudum ad hanc Apostolicam Sedem pro unione, & institutione hujusmodi obtinenda delata, & deinde intermissa renovaretur. Ac propterea dicti Monachi eundem Christinum Stanislaum suum ad id Procuratorem cum opportunis facultatibus specialiter constituerint, ipseque Christinus Stanislaus ad hanc Almam Urbem se contulerit, dictamque unionem, & institutionem fieri magnopere exoptet. Hinc est, quod Nos, qui Monasticam, Regularemque disciplinam conservare, atque promovere omni studio contendimus, piis, & Religiosis ipsius Christiani Stanislaui, ac praedictorum Monachorum desideriis Apostolica charitate benedictentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, de nonnullorum ex Venerab. Fratribus nostris S.R. Eccl. Cardinalibus negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositis super hoc negotio a nobis specialiter deputatorum, qui illud mature discusserunt, & praedictum Christinum Stanislaum desuper audiverunt, consilio, ac etiam Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione Nostri, deque Apostolica potestatis plenitudine, omnia, & singula Monasteria supradicta Ordinis Sancti Benedicti in Regno Poloniae, & Magno Ducatu Lithuaniae respective existens, tenore praesentium in unum, corpus unum, & conjungimus, sicque unita, & conjuncta una cum aliis Monasteriis ejusdem Ordinis illis, ut infra dicetur forsam aggregandis in novam Congregationem sub Invocatione Sanctae Crucis Poloniam nuncupandam ad instar dictae Congregationis Bavaricae, cum iisdem Privilegiis perpetuo erigimus, & instituimus, ac ipsam novam Congregationem sic erectam, & institutam, ejusque Monasteria, & Loca Regularia, illorumque Abbates, Monachos, & Bona quaecumque ab omni Jurisdictione, visitatione, correctione, & superioritate quorumcumque Ordinariorum, itant illi in novam Congregationem, Monasteria, Loca Regularia, eorumque Abbates, & Monachos hujusmodi aliquam Jurisdictionem, vel Superioritatem

Erectio d. Congregationis cu privilegio Congregationis Bavaricae, exemptione ab Ordinariis, facultate aggregandi alia Monasteria, & condendi Constitutiones.

D d tem



rem quovis preterito, & ex quacumque causa habere, & exercere non possint (salvis tamen iisdem Ordinariis Locorum quoad omnia Monasteria, juribus eis vigore Concilii Tridentini prædicti, & Constitutionum Apostolicarum competentibus tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis) harum serie eximimus, & liberamus sine præjudicio in reliquis omnium interesse habentium, vel habere quomodolibet prætendentium; præterea eidem Congregationi sic denuo erecta, & instituta alia quacumque Monasteria dicti Ordinis in Regno, & Magno Ducatu prædictis consistentia, quæ ipsi novæ Congregationi aggregari voluerint, sive quorum Abbates, & Conventus aggregationi hujusmodi consenserint (exceptis tamen, si quæ sint, in dictis Regno, & Magno Ducatu constituta, Monasteriis alteri cuicumque Congregationi canonice aggregatis) sibi aggregandi, necnon pro bono regimine, & gubernio ipsius novæ Congregationis in primo illius Capitulo Generali Constitutiones, quæ tamen nullam validitatem, aut robur assequantur, nisi postquam ab Apostolica Sede prædicta fuerint expresse confirmate, efformandi facultatem motu, scientia, deliberatione: & potestatis plenitudine paribus eorumdem tenore præsentium tribuimus, & impartimur.

Clausula.

§.2. Decernentes easdem præsentibus literas, & in eis contenta quacumque, etiam ex eo, quod prædicti Locorum Ordinarii, & alii quilibet in præmissis, seu eorum aliquod Jus, seu interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, etiam specifica, & individua mentione, & expressione digni cujuscumque status, gradus, ordinis, præminentie, & dignitatis existant, illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati, & auditi, aut cause propter quas eadem præsentibus emanant, adducte, verificate, & specificate non fuerint, vel ex alia qualibet, etiam quantumvis legitima, juridica, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis lesionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostre, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incognato, vel inexcogitabili, individuanque expellitionem requirente defectu, notari, impugari, infringi, limitari, modificari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas apertionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratie remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; Sed ipsas præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolice Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ

Nuncios, aliove quoslibet quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros; sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Deputatio executorum.

§.3. Quocirca memorato Nicolao Archiepiscopo moderno, & pro tempore existenti Nostro, & Sedis prædictæ in dicto Regno Nuncio per præsentibus Motu pari committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte prædictæ novæ Congregationis, ejusque Superiorum, & Monachorum, seu alicujus eorum desuper fuerit requisitus, easdem præsentibus Literas, & in eis contenta quacumque solemniter publicans, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio aliter facit auctoritate nostra illos, & eorum quemlibet præsentium Literarum, & in eis contentorum hujusmodi commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permitteat illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari; Contra dictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habentibus servatis processibus, censuras, & poenas, etiam iteratis vicibus aggravando; invocato, etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac fel. rec. Bonifacii PP. VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilio Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore præsentium in judicium non trahatur; necnon quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quarumvis Ecclesiarum, & Monasteriorum, aliisque quibusvis, etiam in jure, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus: Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis eidem Ecclesiis, & Monasteriis illorumque respective Præsulibus, Abbatibus, Capitulis, Conventibus, & aliis personis quibuslibet etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolica potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries & quantiscumque vicibus iteratis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc

ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis, ac exactissime, & accuratissime servatis, & specificatis respectively habentes; illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostense.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Anno Piscatoris die XXII. Maji MDCCIX. Pontificatus nostri Anno Nono.

CXXXV.

Dat. 24. Maji 1709. An. 9.

Mandatur Ordinariis Italia, & Generalibus Religiosorum, ut saltem bis in anno Populo commendari curent necessitates Captivorum.

*Similis Constitutio ed. fuit 1701. Nov. 18., P. 1. pro indigentibus Locorum Sacrorum Terra Sanctæ Et Inu. XIII. Const. ed. 1721., Nov. 21., P. 1. Hujus Pontificis Const. ed. 1713., Sep. 16., P. 13. extat hæc simile mandatum.*

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Preces Procuratoris Gen. Ord. SS. Trinitatis ac Causæ præsentibus Constitutionibus.

Cum sicut dilectus filius modernus Procurator Generalis Fratrum Discalceatorum Congregationis Hispaniæ Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Nobis nuper exponi fecit Christianissimos multo numero sub dura Barbarorum servitute cum gemino corporis, & animæ periculo detineantur, & in illorum redemptionem dilectus pariter filius Mauritius a Sancto Joanne de Matha frater expresse professus Congregationis prædictæ in Oppido Civitate nuncupat. Liburni a suo Superiore Generali, & Definitorio juxta laudabile Congregationis hujusmodi Institutum deputatus fuerit; quia verò modica in Redemptionem eorumdem Christianissimorum Captivorum subsidia conferunt, unde eorum calamitates, & pericula in dies ingravescent, dictus Procurator Generalis Christianissimorum pietatem ad opus adeo pium excitari plurimum desideret: Nos ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus benigne annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, & attenta relatione dilecti filii

nostri Raynutii S. R. E. Presbyteri Cardinalis Pallavicini nuncupati dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris super præmissis eidem Cardinalibus facta, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ceterisque locorum Ordinariis Italia, necnon dilectis filiis Superioribus Generalibus quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium harum serie auctoritate Apostolica præcipimus, & mandamus, ut saltem duabus vicibus quolibet Anno, Adventus scilicet, & Quadragesimæ temporibus in suis respectively Ecclesiis, tam per verbi Dei Predicatores in Sacris Concionibus, quam in aliis actionibus, & functionibus publicis prædictorum Christianissimorum Captivorum miserias, & calamitates Populo proponi, & commendari curent, & faciant, ut eorum exhortationibus stimulentur Christiani ad eleemosynas largiter conferendas, quibus prædictus Mauritius, seu alii Redemptores dictæ Congregationis Hispaniæ eisdem Captivos a dura servitute hujusmodi redimere, ac illorum spirituali, corporaliqve saluti, Domino benedicente, valeant providere; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Mandatum prædictum.

§.1. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausula.

§.2. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostense.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Anno Piscatoris die XXV. Maji MDCCIX. Pontificatus nostri Anno Nono.

CXXXVI.

Dat. 6. Junii 1709. An. 9.

Conceditur Indulgentia Plen. Perp. pro Ecclesiis Monachorum Congregationis Poloniæ in Festis Inventionis, & Exaltationis S. Crucis.

*Hæc Congregatio erecta fuit ab hoc Pontifice Const. ed. 1709, Maji 22, P. 9.*

CLEMENS PAPA XI.

*Universis Christianissimilibus presentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

Preces Congregationis.

Ad agendam fidelium religionem, & Animarum salutem Cælestibus Ecclesiæ Theauris piæ charitate intenti, ac supplicationibus dilectorum filiorum Monachorum Monasteriorum Congregationis Poloniæ Ordinis S. Benedicti sub titulo S. Crucis a Nobis erectæ, & institutæ nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, omnibus, & singulis utriusque sexus Christianissimilibus vere poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui Ecclesiis prædictorum, & aliorum quorumcumque dicti Ordinis Monasteriorum eidem Congregationi Poloniæ in futurum quodcumque canonice aggregatorum, vel earum aliquam in Inventionis, & Exaltationis ejusdem Sanctæ Crucis festis die-

Concessio præd. Indulg.



bus a primis vesperis usque ad occasum solis cujuslibet festi hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces eïnderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, præsentibus, perpetuis iuribus temporibus valituris.

Clausula.

§.1. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die VI. Junii MDCCCIX., Pontificatus nostri Anno Nono.

CXXVII.

Declarantur nulla electio gubernatoris Ecclesiæ Abulen., & quæcumque gesta a Capitulo, cum eorumdem damnatione, & quibusdam Ordinationibus.

Const. ed. 1708, Febr. 4, P. 8, declarata fuisse nulla duas electiones administratorum Ecclesiæ Gnesnen., & Vladislavien. Et Const. ed. 1716, Decem. 17, P. 16, declaratur nulla expostulatio Episcopi Onabræcen.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

IN supremo Apostolicæ dignitatis culmine, meritis licet imparibus, per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam collocati, Ecclesiasticam Immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam, nostraque, & hujus Sanctæ Sedis, inferiorumque Ecclesiarum jura, ex commissi Nobis cœlestis Pastoralis Officii debito, facta testæ tueri, et si quidem ea quorumcumque, præsertim Laicorum, quos in rebus Ecclesiasticis obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, ausibus violata esse novimus, ab ejusmodi violationibus asserere satagimus, sicut omnibus mature considerationis trutinâ perpensis, æquitati, & justitiæ, rectoque ordini consentaneum esse in Domino arbitramur.

A Capitulo Abulen. Regis literis Secretario Expeditionis 4. Feb. feriatibus meto electus fuit de Solis Episcopus Ilerden. in Gubernatorem Ecclesiæ Abulen., ad quam ipse præsentatus fuerat vacantis.

§.1. Ad nostri siquidem Apostolatus notitiam non sine gravi animi nostri molestia pervenit, quod alias tunc existens Secretarius universæ, ut vocant, Expeditionis charissimi in Christo Filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholicæ dilectis filiis Decano, Capitulo, & Canonicis Ecclesiæ Abulen. per suas literas die IV. Februarii proxime præteriti, seu alio veriori tempore eis conscriptas nunciavit, quod cum dilectus filius Froilanus Diaz Frater expressè professus Ordinis Prædicatorum dudum ad dictam Ecclesiam per obitum ultimi illius Episcopi solatio Pastoris destitutam a dicto Philippo Rege Nobis præsentatus, præsentationi hujusmodi, antequam illam Nobis admitti contingeret, renunciasset, ac subinde idem Philippus Rex ad Ecclesiam prædictam Venerabilem Fratrem Franciscum de So-

lis Episcopum Ilerden. (ut in eisdem literis asseritur) similiter præsentasset, quia ab illo sic præsentato curam, & regimen dictæ Ecclesiæ quam primum suscipi, & assumi cupiebat, eidem Secretario mandaverat, ut Decano, Capitulo, & Canonicis præfatis significaret ipsi Philippo Regi gratissimum fore, si dictus Franciscus Episcopus incunctanter ab eis in Provisorem, & Vicarium Generalem, seu Gubernatorem prædictæ Ecclesiæ eligeretur, seu nominaretur, eique jura, & facultates, quæ ipsis, illius Sede Episcopali vacante, competeant, attribuerentur, ad hoc ut absque ulla mora, donec dictæ Ecclesiæ de persona ipsius Francisci Episcopi a Nobis provide-retur, & literæ Apostolicæ desuper de more expeditentur, eandem Ecclesiam, tamquam futurus ejus Sponsus, regere, & gubernare posset, & valeret; Dicit vero Decanus, Capitulum, & Canonici per suas etiam literas die 21. ejusdem mensis, seu alio veriori tempore exaratas, Secretario præfato rescripserunt, se quæcumque jure sibi circa gubernium dictæ Ecclesiæ, illius Sede Episcopali vacante, competentia dicto Philippo Regi libenter deferere, paratos se exhibentes in ejus voluntatis implementum illa dicto Francisko Episcopo subdelegare, eumque in Gubernatorem ejusdem Ecclesiæ eligere, ac nominare, & alias, prout in binis literis prædictis, quarum tenores, non approbandi, sed omnino reprobandi animo, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, plenius dicitur contineri.

§. 2. Cum autem, sicut pariter Nobis innotuit, in præmissorum sequelam Decanus, Capitulum, & Canonici prædicti juribus sibi, sicut præmittitur, competentibus in eundem Franciscum Episcopum translatis, illum subinde in Provisorem, seu Gubernatorem dictæ Ecclesiæ eligere, seu nominare ausi fuerint, ipseque Franciscus Episcopus, electionis, seu nominationis hujusmodi vigore Ecclesiam suam Ilerden. absque nostra licentia deserere, necnon curam, regimen, & gubernium ejusdem Ecclesiæ Abulen. suscipere, gerere, & exercere præsumpserit, & adhuc præsumat: explorati vero juris sit ipsum Franciscum Episcopum minime potuisse, nec posse sub Oeconomatus, Procuratoris, Provisoris, Vicarii Generalis, seu Gubernatoris nomine, aut alio quovis quæsito colore, seu titulo curam, regimen, & administrationem ejusdem Ecclesiæ Abulen. in spiritualibus, vel temporalibus per se, vel alium, pro parte, vel in totum gerere, vel recipere, aut illis ullatenus se immiscere, antequam a vinculo, quo tenetur Ecclesiæ Ilerden. cui præest, & a quo non nisi a Nobis absolvi potest, realiter, & cum effectu absolvatur, ac ad præfatum Ecclesiam Abulen. transferatur, eique de illius persona a Nobis provideatur; præsertim cum ejusmodi absolutio, translatio, & provisio adhuc a Nobis nequidem petita fuerit, quinimo nec asserita ejusdem Francisci Episcopi ad dictam Ecclesiam Abulen. præsentatio Nobis ullatenus facta fuerit; indeque pateat, quam temere, & perperam præmissa omnia, in Regnis Hispaniarum hæcenus inaudita, contra eorumdem Regnorum consuetudines, contra Sacrorum Canonum, Apostolicarumque Constitutionum dispositionem, ac rectum ordinem per damnabilem secularis potestatis abusum gesta fuerint: quantum illa Ecclesiæ, & nostra jura læserint, ac læ-

Contra Sacram Sancto-num præceptum.

dant, quam gravibus denique periculis animas pretioso Salvatoris, & Domini Jesu Christi sanguine redemptas involverint, & adhuc involvere pergant. Hinc est, quod Nos, qui libertatis, ac jurisdictionis, aliorumque jurium Ecclesiasticorum Assertores in terris a Domino constituti sumus, omniumque Ecclesiarum, & Christianidelium curam, & sollicitudinem superna dispositione gerimus, Ecclesiæ præfate Abulen. Nostrorumque, & Apostolicæ Sedis Jurium inde-munitati providere, nec non animarum periculis, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, ac omnium, & singulorum in præmissis tam a Secretario, quam a Decano, Capitulo, & Canonicis, nec non Francisko Episcopo præfatis per se, vel alios quoscumque quomodolibet actorum, & gestorum seriem, causas, & occasiones, aliave qualibet, etiam specificam, & individua mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac exactissime, & accuratissime specificatis habentes: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, electionem, seu nominationem ejusdem Francisci Episcopi in Provisorem, seu Gubernatorem præfate Ecclesiæ Abulen., ac quorumcumque jurium, & facultatum circa ejusdem Ecclesiæ regimen, & administrationem Decano, Capitulo, & Canonicis prædictis, illius Sede Episcopali vacante, competentium in ipsum translationem, seu concessionem ei ab eisdem Decano, Capitulo, & Canonicis factas, ut præfertur, aliæque omnia, & singula tam ab ipsis Decano, Capitulo, & Canonicis, quam a dicto Francisko Episcopo suæ electionis, seu nominationis, ac in ipsum, sicut præmittitur, translatorum, seu ei concessorum jurium, & facultatum hujusmodi vigore, seu prætextu per se, vel alios quoscumque, etiam specificam, & individua mentionem, & expressionem dignos in præmissis, vel circa ea quomodocumque, & qualitercumque acta, facta, gesta, & mandata, decreta, ordinata, vel disposita, ac forsan in futurum (quod Deus avertat) agenda, gerenda, facienda, mandanda, decernenda, & ordinanda, cum omnibus, & singulis inde quovis modo secutis, & quomodocumque secuturis penitus, & omnino nulla, invalida, inania, irrita, temeraria, & a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, & de facto præsumpta, nulliusque roboris, momenti, & efficaciam esse, & ab initio fuisse, ac perpetuo fore, tenore præsentium declaramus, & decernimus, illaque damnamus, & reprobamus; ac nihilominus ad majorem, & abundantiorum cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula, quatenus de facto processerunt, revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus in omnibus, & per omnia, perinde ac si nunquam facta fuissent, nec evenissent, neque unquam fierent, vel evenirent.

Pœne in Episcopum aliof-que contravenientes.

§. 3. Quocirca eidem Francisko Episcopo in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub suspensionis ab exercitio Pontificalium, nec non Interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto, & absque alia declaratione incurrendis pœnis districtè prohibemus, & interdiciamus, ne suæ irritæ electionis, seu nominationis, aliorumque præmissorum hujusmodi vigore, seu prætextu susceptum præfate Ecclesiæ

Abulen. regimen, seu gubernium de cetero retinere, minusque ullam jurisdictionem, potestatem, vel auctoritatem Ecclesiasticam, & Spiritualem in Civitate, vel Dioecesi Abulen. exercere, ullumve inibi actum jurisdictionalem facere, seu continuare, neque ullos dictæ Ecclesiæ Abulen. fructus, redditus, & proventus percipere, seu forsan jam perceptos retinere audeat quovis modo, seu præsumat. Illos vero qui ei in præmissis parverint, vel auxilium, consilium, vel favorem quovis modo præstiterint, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, præminentie, vel dignitatis fuerint, Excommunicationis majoris, nec non privationis fructuum Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque, aliorumque quorumvis reddituum Ecclesiasticorum per eos respective obtentorum, similiter eo ipso incurrendis pœnis, innodamus, & innodatos fore decernimus, & declaramus; ipsarumque pœnarum absolutionem, seu relaxationem Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existentis dumtaxat specialiter reservamus.

Declaratur nulla Gubernatoris oris jurisdictione, eaque conceditur Vicario Capitali.

§. 4. Ceterum de salute Dominici gregis paterna charitate solliciti omnibus, & singulis utriusque sexus Christianidelibus tam Ecclesiasticis secularibus, & cujusvis Ordinis, Congregationis, vel instituti Regularibus, quam Laicis harum serie denuntiandum, & ad eorum notitiam deducendum esse censuimus, præfatum Franciscum Episcopum nullam in eadem Ecclesia Abulen. suæ irritæ, & invalidæ electionis, seu nominationis, aliorumque præmissorum hujusmodi vigore, vel prætextu, sive quoad temporalia, sive quoad spiritualia jurisdictionem, aut potestatem habere, vel habuisse, adeoque nec ullam circa ea, quæ Sacramentorum administrationem, causarum cognitionem, aut alias forum conscientiarum, vel contentiosum quomodolibet concernunt, auctoritatem interponere ullo modo valide posse, nec potuisse. Ne autem dicta Ecclesia Abulen. tempore, quo præfatus illius Sedis Episcopalis vacatio duraverit, Administratore in spiritualibus careat, volumus, & ordinamus, ut ejus Vicarius Capitalis antea legitime deputatus, Officium Vicarii hujusmodi cum omnibus, & singulis facultatibus ejusmodi Vicariis Capitalibus de jure, usu, & consuetudine, ac alias quomodolibet juxta Decreta Concilii Tridentini competentibus, cum quibus illud ante præfatum irritam, ejusdem Francisci Episcopi electionem, seu nominationem gerebat, & exercebat, seu gerere, & exercere poterat, etiam nunc, & in posterum gerere, & exercere pergat, ac quatenus opus sit, illum in eodem Officio harum serie confirmamus, ut illud etiam nostra, & Sedis Apostolicæ auctoritate, donec tamen alius similis Vicarius a Capitulo, & Canonicis præfatis legitime deputatus non fuerit, gerat, & exerceat.

Clausula.

§. 5. Decernentes etiam easdem præsentibus literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod præfati, & alii quicumque in præmissis, seu eorum aliquod jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, præminentie, & dignitatis existant, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque, propter quas præsentibus emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & pri-



& privilegiata causa, colore, pretextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissima, & totalis lationis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostre, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & incogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis, in integrum, aliudque quodcumque juris, facti, vel gratie remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque, & non aliter in premissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. prefate Cardinales, etiam de Latere Legatos, & eisdem Sedis Nuncios, aliove quoslibet quacumque preeminencia, & potestate fungentes, & futuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definituri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus premissis, ac, quatenus opus sit, nostra, & Cancellarie Apostolice regula de jure quasito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon prefate Ecclesie Abulens, & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, ac usibus, & styli, etiam immemorabilibus, Privilegiis, quoque, Indultis, & literis Apostolicis prefatis, aliisque quibuslibet Personis etiam quacumque Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, & alias quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium premissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & infererentur, presentibus pro ple-

ne, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanuris, ad premissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem presentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo persone in Ecclesiastica dignitate constitute munitis eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud ubique locorum adhibeatur, que ipsis presentibus adhiberetur, si forent exhibite, vel ostense.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Augusti MDCCVII. Pontificatus nostri Anno Nono.

CXXVIII.

Declarantur nulla Edictum, & Mandatum a Saeculari potestate in Ducatu Mediolanen. promulgata, ne transferantur pecunie ad Statum Ecclesiast., & ut sequestrantur fructus Ecclesiastici personarum absentium, cum facultate absolvendi respicientes Archiepiscopo Mediolanen. concessa.

Dat. 5. Octob. 1709. Aug. 9.

De vi illata immunitati Ecclesiastica super fructibus in Ducatu Parma, & Placentia vide Constit. ed. 1707, Jul. 27, P. 7. Et de eadem re in Regno Neapolis vide Constitutionem sequentem.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Alias cum ad Apostolatus Nostri notitiam, non sine gravi animi Nostri molestia, pervenisset in Civitate, & Ducatu Mediolanen. produsse a Saeculari potestate Edictum quoddam paulo ante nempe die 20. Martii 1708. editum, quo sub gravissimis poenis prohibebatur, ne quis cujuscumque status, gradus, & conditionis esset, genus ullum pecuniarum in quavis quantitate, specie, vel moneta e Civitate, ac Ducatu prefatis ad almam Urbem nostram, aliave loca Status Nostri Ecclesiastici deferendarum per se, vel alios directe, vel indirecte ex quavis causa, seu pretextu, etiam privilegiato extrahere, seu extrahi facere auferet; ac insuper sub iisdem poenis interdiceretur, ne ullus Campsor, seu alius quilibet persona directe pariter, vel indirecte, pecunias predictas ad effectum illas five per mandata, five per literas Cambii, ut vocant ad Urbem, aliave loca Status Ecclesiastici hujusmodi transmittendi, recipere, seu solvi facere ex quacumque causa, seu pretextu, ut supra, etiam privilegiato similiter auferet, seu praesumeret. Simulque Nobis innotuisset, die subsequenti nempe 21. ejusdem mensis Martii in Civitate Mediolanen. predicta ab eadem saeculari potestate itidem produsse mandatum, seu Decretum quoddam quo tunc existenti nostro, & Apostolicae Sedis Economo Generali in Ducatu Mediolanensi hujusmodi auctoritate Apostolica deputato praecipiebatur, ut illico super fructibus, redditibus, & proventibus cujuscumque tandem generis essent, omnium, & quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum in Du-

A saeculari potestate Mediolanen. editum publicatum fuit 1708 quo prohibebatur translatio, seu transmissio pecuniarum ad Statum Ecclesiasticum.

Item Mandatum de sequestrando fructibus, & pensionum Ecclesiasticorum absentium a Ducatu Mediolanen.

catu prefato a personis extra illum degentibus possessor sequestrum apponeret, fructusque, redditus, ac proventus hujusmodi tam tunc de curiosis, & non solutos, quam de cetero decurrendos exigeret, ac illos, seu illorum, pretium penes personam fidei, & facultatibus idoneam deponeret, neque eos absque predicta saecularis potestatis licentia quovis modo distrahi permetteret; Praeterea quascumque pensiones, ac prestationes a quibusvis personis dicti Ducatus quibuscumque personis Ecclesiasticis extra eundem Ducatum, ut praefertur degentibus solvi, seu dari consuetas, similiter sequestro committeret, & ad effectum supra expressum retineret, ac alias, prout in Edicto, ac mandato, seu Decreto supradictis, quorum tenores non approbandi, sed omnino reprobandi animo presentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, plenus continetur. Nos probe considerantes, ex edicto, ac mandato, seu Decreto hujusmodi maximum Pontificiae non minus auctoritatis, quam dignitatis detrimentum nec non manifestum Jurium Ecclesiasticorum subversionem sequi primum quidem, hoc est, statim ac premissa Nobis innotuerunt, Pastoralis muneris nostri partes quantum implere satagentes per plures literas iussu nostro a dilecto filio nostro Fabricio S. R. E. Presbytero Cardinali Paulatio nuncupato Secretario nostro status, tam dilecto pariter filio nostro Josepho ejusdem S. R. E. etiam Presbytero Cardinali Archinto nuncupato Metropolitanae Ecclesiae Mediolanen. ex concessione, & dispensatione Apostolica Praefuli, quam aliis Venerabilibus Fratribus Episcopis in dicto Ducatu Mediolanen. suas Ecclesias, vel Dioeceses habentibus conscriptas edictum, & mandatum, seu Decretum supradictum, tanquam juribus, & rationibus Ecclesiae manifeste adversantia improbavimus, ipsique Josepho Cardinali, & Praefuli, ac Episcopis propterea commisitimus, & mandavimus, ut contra eos, qui illis exequendis quovis modo se ingerere ausi fuissent, via Juris procederent. Subinde vero per alias binas literas ab eodem Fabricio Cardinali, ac Secretario status tam eisdem Josepho Cardinali, ac Praefuli, quam tunc in humanis agenti bonae memoriae Jacobo Antonio S. R. E. praedictae Cardinali Morgia nuncupato, dum vixit Ecclesiae Papien. ex concessione, & dispensatione paribus Praefuli die 28. Aprilis ejusdem Anni 1708. iussu nostro datas, utriusque eorum injunximus, ut non modo ius, qui edictum, ac mandatum, seu Decretum hujusmodi ediderant seu subscriperant, sed etiam aliis omnibus, qui pro illorum editione, promulgatione, seu forsitan etiam executione, auxilium, consilium, favorem, aut operam quovis modo praestitissent, quorumcumque tandem gradu, seu dignitate praefulgerent, censuras, & poenas Ecclesiasticas a Sacris Canonibus, generalium Conciliorum, Decretis, ac Apostolicis Constitutionibus, ac praefertim literis die Coenae Domini singulis annis legi, & promulgari solitis, signanter vero dicto Anno 1708. ea ipsa die, qua Edictum, & Mandatum, seu Decreti praefatorum exemplaria typis impressa ad manus nostras pervenerant, lectis, & promulgatis, inflictas, quibus ipsi irretiti repenebantur, Pastoralis pectore aperte edicerent, illos praeterea paterna charitate admonerent se a censuris, & poenis hujusmodi, non

Datis Literis 1708 ad Ordinarios in d. Ducatu improbat fuisse memorata Edictum, & Mandatum, necnon ipsi injunctum, ut de jure procederent contra executores.

Item alii literis mandatum fuit Praefulis Mediolanen. & Episcopis ut denuncarent censuras, & poenas in violatores Saeculorum iustitiae ab Imperatore auxilium peterent.

nisi post debitam, & condignam Ecclesiae praestitam satisfactionem a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente absolvi, & liberari posse, validis demum, ac salutaribus officiis apud eum agerent, cujus auctoritate premissa a pietate quidem Austriaci nominis, quod praeserebant, nimium aliena, gesta fuisse dicebantur, quatenus scandalis tam gravibus constanti suo in Ecclesiam cultu, acceptoque ab inclitis majoribus more confessim occurrens, omnino curaret, ut quae nos Jure nostro petebamus, & exigebamus pro reparatione auctoritatis, & jurisdictionis Ecclesiasticae, ipso etiam jubente quamprimum implerentur. Quae sane omnia idem Josephus Cardinalis, & Praeful se Evangelica libertate, suoque munere, ac loco, quem in Ecclesia Dei obtinet vere digni fideliter, & alacriter implevisse suis ad eundem Fabricium, Cardinalem, & Secretarium status datis literis rescripsit. Ad haec nostris in simili forma Brevis ad Charissimum in Christo filium nostrum Josephum Romanorum Regem in Imperatorem electum die 6. Maji ejusdem Anni 1708. expeditis literis, & per celerem Cursorem transmissis, gravissimam, quam inde conceperamus, amaritudinem eidem denunciavimus, eique illum hortantes, ac commoneantes, quatenus auctoritate sua efficeret, ut Ecclesia ab illis ipsis, a quibus tanta injuria affecta fuerat congruis remediis sarciretur, ac nedum ad jura sua, sedes ad pristinam dignitatem quamprimum rediret. Postmodum vero cum accepissemus, predictis monitionibus nostris penitus contemptis mandatum signanter, seu Decretum supradictum, quo Beneficiorum Ecclesiasticorum fructus illorum Possessoribus extra dictum Ducatum, sicut praemittitur, degentibus nulliter, aequae, ac perperam interceptebantur vere in Civitate, & Ducatu praedictis executioni demandatum fuisse, per alias literas a praedicto Fabricio Cardinali, & Secretario status tam Josepho Cardinali, & Praefuli, quam Episcopis supradictis die VII. Julii ejusdem Anni 1708. iussu itidem nostro scriptas districte praecipimus, & mandavimus, ut adversus quoscumque in executione hujusmodi culpabiles, ac potissimum adversus Economum Generalem, supradictum, ac subeconomos ad legitimam censuratum a Tridentina Synodo sess. 22. de Reformatione cap. 11. ac ab Apostolicis in die Coenae Domini promulgari coniectis literis supradictis, praefertim Canone XVII. contra talia perpetrantes latarum, atque inflictarum Declarationem absque ulla cunctatione devenirent: Nobis interim iustum, & misericordem Dominum assidue exorantibus, ut Nobis quidem caelesti sua ope clementer adesse, errantibus vero, ut in viam possent redire Justitiae veritatis suae lumen ostendere non dedignaretur.

§. 1. Cum autem, sicut Nobis nuper innotuit, ab eadem saeculari potestate, cujus nomine premissa contra Jura, & rationes Ecclesiasticae Ordinis, ut praefertur, gesta fuerunt, talia tandem pro illorum, atque inde saeculorum quorumcumque revocatione, rescissione, ac retractione mandata prodierint, ut merito sperare possimus, unde nobis oborta fuit iustia, ac diuturna amaritudinis causa, brevi dandam esse amplam materiam gratias agendi misericordiarum Papi, quod antiqui hostis conatus deteriora consilia mentibus hominum insinuantis irri-

Præd omnia a Praefule Mediolanen. executioni demandata fuerunt.

Similiter a Pontifice missum fuit Breve ad Imperatorem pro opportuno remedio.

Ad mandatum de sequestrando fructibus in d. Ducatu mandatum fuit.

Hinc novae literae ad Ordinarios in d. Ducatu de executione censuras in executores dicti Mandati.

Tandem a saeculari potestate edita fuisse quaedam Mandata potestatis revocationem.